

D. D.  
DISSERTATIO ACADEMICA;  
**VINDICIAS PRO-  
VIDENTIÆ DIVINÆ  
CONTRA EXCEPTIO-  
NES DEISTARUM,**  
CONTINENS,  
QUAM,

*Suff. Ampliſſ. Facult. Phil. in Reg. ad Aur. Acad.*  
PRÆSIDE

**D<sup>N</sup>. JOHANN E  
KRAFTMAN,**

Matheseos PROFESSORE Reg. Extraord.

*Publico examini ſubjicit,*

**ZACHARIAS CYGNÆUS,**

*V. D. M.*

WIBURGENSIS.

Die XIX. Maji Anni MDCCLVI.

loco horisque ante meridiem conſvetis

## KONGL. MAJ:TS

Tro-Tjenare och Assessor, samt Borgmästare  
uti Stapelstaden Lovisa,  
*Högädle och Widtlagfarne*

HERR J A C O B  
FÖRSSELL,

När Försynen hos en förenat ädla tankefätt, med en nitisk wälmening, kan få wäl det almäna, som hwar ock en i synnerhet, göra sig säker räkning på owärdeliga förmåner däraf. Snillet hos en man, af sådan art, alstrar, under den Högfsta wällignelse, nyttiga påfund, til almen och enskild trefnad, och dess wälwilja gör en angelägenhet af deras fullbordan. Han har all möda ospard, at befordra andras wäl, och ser med nöje sina krafter täras, til andras fördel. Herr Assessorens wärda person är ett öfwertygande bewis häraf. Han har genom ofwannämde egenfkaper gagnat almenheten uti de wigtigaste ärender, af hwilka det giordt Her Assessorn förtroende. Inbyggarena i Lovisa af hwarje stånd, wörda Herr Assessorn för de förmöner och bequämligheter, Han dem utwärcat. Omständigheter, som mer än den prächtigaste ärestod, skal förmå frambringa, Herr Assessorns wärda minne, til wår sednaste efterwärd. Den wänskap Herr Assessorn betygat emot mina K. Föräldras hus, och den oförtienta gunst mig blifwit ärtedd, gör min skuld mång dubbel. Til ett prof af min tacksamhet upoffrar jag Herr Assessorn desse enfallige tanckar om Guds Försyn. Jag hoppas at Herr Assessorn gunstigt anser mit wördnads fulla upfat, och i öfrigt gynnar mig äran at få förblifwa

HERR ASSESSORNS

*ödmjukaste tjenare,*  
ZACHRIS CYGNÆUS:

*Admodum Reverendo atque Præclarissimo DOMINO*  
**MAG. D A V I D I**  
**S T A N C I**

*Ecclesiæ quæ Lovisæ, in Pyttis, Elimâ & Anjala est  
Præposito & Pastori longe meritissimo.*

**PATRONO OPTIMO**

**Q**uantam, Præclarissime Vir, *ex studio literarum*  
*percipias voluptatem, satis declarasti eo, quod omnes fere scientias, felicissimo hausisti ingenio, atque insimul beneficiis, assiduos literarum cultores ornasti maximis. Et, quemadmodum sic, nomen celeberrimum dudum es consecutus; ita meritis Tuis prædicandis, me imparem omnino sentio. Aliorum itaque, qui magis eloquentia valent, esto, illorum adornare e-logia; meum erit, Tuum in me favorem tacite venerari. Tantus autem fuit, quantus, qui maximus esse solet. Toto namque illo tempore, quo in conspectu Tuo versari licuit, plus quam paterno me amplexus es adfectu. Quum igitur pro omnibus quæ accepi beneficiis nihil, quod Tibi referam, mihi relictum sit; non est cur dubitem, quo minus benignissime patiaris, hasce pagellas Tibi consecratas esse, ceu qualescunque venerabundi atque gratissimi animi pignus. Pro incolumitate & perenni Tuo Tuorumque flore, preces fundam calidissimas.*

**NOMINIS TUI**

*cliens humillimus,*

**ZACHARIAS CYGNÆUS.**

*Admodum Reverendo atque Praeclarissimo DOMINO*

**M**<sup>AG.</sup> **P E T R O**  
**B O N S D O R F F,**

*S. S. Theologiae Lectori Reg. Gymn. Borgoënsis me-  
ritissimo, Consistorii Adessori Laudatissimo,*

*Avunculi loco pie colendo.*

**T**ot tantorumque beneficiorum, a Te in me collatorum,  
consciens sum, ut eorundem rationem, in solo vinculo san-  
guinis, quo me Tibi junxit felicior sors, non quae-  
rendam, verum insimul faventissimo Tuo genio, adscribendam  
esse sentiam. Id enim a multis jam retro annis egisti, ut  
ne cura salutis mese parentibus indulgentissimis solus incumbere-  
ret. Tu munus eorum sublevasti, jam viros eruditione claros  
me ingenuis artibus instructuros eligendo, jam rationem stu-  
diorum meorum illis praescribendo, jam, quoties tulerit occasio,  
meos in literis progressus explorando. Tandem & ipse non pu-  
blicum modo, sed & privatam mihi agere informatorem, haud  
grave duxisti. Quid in omni re gerenda juvet sincera pieras,  
quove ducat virtus & industria, serio inter publicos & priva-  
tos parietes inculcasti. Quum vero omnia favoris Tui speci-  
mins, non capiat haec oratio, quumque praestet pia mente illa  
condere, quam insufficienti verborum apparatu, umbram illis ob-  
ducere; humillimus rogo, patiaris tractatunculam hanc in te-  
stimonium aliquod animi gratissimi Tibi offerri. De caetero  
ut eodem, de quo bucusque gratulari licuit, me amplectaris,  
affectu, est quod etiam atque etiam contendo.

**NOMINIS TUI**

*cultor humillimus;*

**ZACHARIAS CYGNÆUS.**

*Admodum Reverendo atque Praclarissimo DOMINO*

**M**<sup>AG.</sup> **J O H A N N I**  
**B O R G S T R Ö M,**

Matheos, Logices & Methaphyices *Lectori* Reg.  
Gymn. Borgoënsis meritissimo, Consistorii ibi-  
dem Ecclesiastici *Assessori* æquissimo,  
PATRONO BENIGNISSIMO.

**S***I* capacitem ingenii Tui vastam, eruditionem profun-  
dam, & beneficiorum in me collatorum vix credibilem mul-  
titudinem, solas mente volverem, hasce pagellas Tibi con-  
secrare nequaquam auderem. Etenim ibi quidem respondet ar-  
gumentum pondus, isti vero tractandi ratio, & huic vile adeo  
munusculum non sufficiunt. Dum autem insimal animum subit,  
memoria favoris Tui plane singularis, spes adsulget certissima,  
fore, ut ne aegre sis laturus, quod aeternae pietatis legi &  
aestuanti venerationis, qua Te prosequor, testificandae deside-  
rio obsecutus, primitias hasce ingenii, Tibi offerre sustineo.  
Plurimis quidem, in literarum cultores, meritis memoriam no-  
minis Tui extra metum oblivionis collocasti; cummutata tamen  
sunt benignitatis Tuae in me documenta. Tu, vel mihi soli,  
privatissime scientias tradere, non es gravatus. Tu stimulos  
ad virtutem & industriam dedisti, animum in adversis fluctu-  
antem erexisti & consiliis saluberrimis firmasti. Te post Deum  
auctorem & statorem fortunae veneror. Accipias itaque serena  
fronte, pagellas hasce, recordationis beneficiorum Tuorum, nun-  
quam intermoriturae, interpretes. De caetero, ut meas spes  
etiam in posterum Tibi commendatas habeas, precor.

NOMINIS TUI

*cultor humillimus,*

ZACHARIAS CYGNÆUS.

Plurimum Reverendo atque Præclarissimo Domino,

MAG. NICOLA O  
URSINO,

Verbi Divini Comministro Lovisæ Dexterrimo.

FAUTORI CERTISSIMO.

**Q**uantum rebus meis sustinendis tuendisque studii & opera impenderis, varia testantur argumenta. Qui in partem laborum, ad munus Tuum pertinentium, venire, me dignum judicasti, quo Tibi opportunior daretur occasio, paternum erga me declarandi animum, & mea commoda augendi. Hinc factum est, ut illo tempore, quo in Domo Tua honestissima versari contigit, tantam beneficiorum segetem mihi metendam obtuleris, quanta ne exspectanda quidem fuisset. Quemadmodum vero hisce omnibus ad calculum reductis, me quidem totum in ære Tuo esse agnosco, ita non sine sensu doloris mecum reputo, quod nihil referre liceat, præter animum gratissimum, cujus præconem volui esse, quam Tibi offero, disertatiunculam. Accipias illam eodem, quo me excepisti adfectu, neque ex suo pretio, sed offerentis sincera pietate æstimes. Ut vero in commodum Ecclesiæ Tuorumque solatium diu sospes felixque vivas, assiduis precabor suspiriis.

NOMINIS TUI

cultor observantissimus,  
ZACHARIAS CYGNÆUS.

Handelsman i Stapelstaden Lovisa,

*Högachtad*

Herr ANTON MÅRTEN  
BACKMAN.

**A**Tankan af Herr Handelsmans mångfalliga wäl-  
gärningar emot mig, gör mig ofta bekym-  
mersam. Ty oansedt jag ej är den enda, som Herr  
Handelsmans godhet gör sig förbunden, är jag lik-  
wål den, som rönt de måst betydande prof däraf.  
Jag har wördat alt sådant i tyfthet, och långtat ef-  
ter tilfalle, at ådagalegga de tydeligaste wedermå-  
len af min tacksamhet. Ett wördnads fult hjerta  
är hela den årfättning, som Herr Handelsman wän-  
tar, för all sin gunst och wålmening. Det samma  
frambår jag nu, tillika med mitt enfalliga arbete,  
hwilket jag med mycken högachtning, för Herr  
Handelsmans person, härmedelst upoffrar. Det  
skal, så länge jag lefwer, blifwa mig den behage-  
ligaste skyldighet, at utmana för Herr Handel-  
man och Hans wårda hus all wålsignelse, samt at med  
all högachtning förblifwa

HERR HANDELSMANS

*Edmiuke tjenare,*

ZACHRIS CYGNÆUS.

# DOMINO AUCTORI,

Amico in paucis dilectissimo.

**I**nter illa, quæ ad felicitatem humanam conferunt, non infimum certe locum vera sibi vindicat amicitia. Hanc enim virtus, qua nihil est præstantius gignit. Hanc ingeniorum morumque similitudo alit conservatque. Proinde, quum illud in Te virtutis probitatisque lumen dudum invenerim, quod insita sibi vi maxime ad diligendum allicere solet, quid mirum me totum in Tui amorem raptum fuisse? Neque obscura fuit ejusdem Tui erga me adfectus significatio. Quod itaque in vera inter nos amicitia desideraretur non video. Tanta profecto existit, ut nec loco exclusa, nec tempore fuerit interrupta. Quamobrem eo lubentius hanc arripio occasionem, qua aliquod saltem publicum amoris pignus Tibi offerre conceditur. Campus quidem esset in Tuas laudes exspatiandi amplissimus; verum quum sanctior, que nos intercedit conjunctio id vetet, ex imis animi penetralibus letos Tibi apprecor progressus ad illos, quos eruditionis & virtutis Tuæ premia mox consecuturus es honores. Cedant de cætero destinata Tua honestissima in Dei gloriam, publicum emolumentum ac Tuum Tuorumque commodum & gaudium uberrimum exoptatissimum!

DAVID P. STURGE.





I. N. D.

## PRÆFATIO.



Uemadmodum sapientissimo illi rerum conditori, in creatione etiam is fuit scopus, ut bene & in tempore & in æterno homini esset; ita & menti ejus inclinationem, suam promovendi felicitatem, quo finem hunc propositum adtingeret, indidit. Erat illa eadem propensio, in primordio rerum, donec primi homines adhuc fulgerent concreata sapientia intellectus & sanctitate voluntatis, ejus indolis, ut ad consummatam beatitudinem obtinendam, fuisset perductura: post lapsum vero, utut residua, ita tamen peccato corrupta & depravata est, ut ad summum felicitatis culmen properantes mortales, vias sæpissime decurrant inde in contrariam deducentes partem.

Comprobant hoc, vel suo exemplo, Deistæ; qui felicitatem quærentes in perverso usu libertatis, providentiam Numinis, cui maximam inesse vim obligandi & intra justos limites coërcendi eandem

libertatem prævident, prorsus in dubium vocare audent. Sic enim soluti jure, quo creatori tenentur obstricti, optime se rebus suis consuluisse, inepte arbitrantur. Horum circa hanc rem placita examinare & insimul providentiam argumentis stabilire, in quantum id ingenii immaturitas & temporis angustia, qua premimur, permittit, jam animus est. Ut vero de innoxio hoc nostro tentamine, L. B. mitius feras judicium, Te majorem in modum rogamus.

### §. I.

**V**Ariam varii voci Deismi assignarunt notionem eoque vagum & indeterminatum ejus fecerunt significatum. Quidam cum P. Bælio Deistæ vocabulo usi sunt, nomine clariore insignituri oppugnatores atheismi & vere de Deo sentientes. Alii quidem, utpote Leuschenius, Hornbeckius, Bentlejus aliique, nomen Deistæ imposuerunt illis, qui de DEO, ejusque attributis & majestate, impias & indignas formarunt sibi notiones; sed plerumque errorem illorum ab aliorum stultissimis deliriis, non satis distinxerunt. Nos jam, præeunte Wolffio, Deistam appellamus, qui *Deum quidem existere concedit, eum tamen res mundanas curare negat, seu nullam dari providentiam affirmat.* In eo itaque secundum nos est Deista, ut Deum otiosum faciat spectatorem omnium rerum, & rationem effectuum, cujuscunque sint nominis, concursui plurium caussarum, sine omni supremi Numinis directione, adscribat. Licet

nomen, quo jam insigniuntur Deistæ, seculo XVI. demum in Anglia & Gallia enatum sit, teste Lœschero in prænot. Theolog. p. 36. homines tamen, huic erroneæ sententiæ addictos, ab antiquissimis jam extitisse temporibus, testantur historia tam sacra, quam profana. Si, quæ de Caino, filio primogenito Adami in Libro Geneseos profert Moses, circa colloquium cum DEo institutum, de effusione sanguinis fraterni, omnia rite perpendantur, eum de providentia Divina vel saltem attributis, quibus illa fundatur, non satis persuasum fuisse, constare videtur. Et quamquam Gens Judaica, in itinere ex Ægypto constituta, quoties angustia aliqua premeretur, præcise & directe Mosen accusaret & variis eum invaderet convitiis: tamen indirecte etiam in providentiam Divinam injuria erat, cujus tot quotidie exstabant specimina, ut sole meridiano clarius oculos ejus afficeret. Deistas nec tempore Davidis defuisse, in Psalmis ejus videre possumus, ubi de hac impietate hominum quorundam quærimoniam jactat. Imprimis autem adferre lubet luculentissima hujus rei testimonia, Psalm. X: v 4. II. & LXXIII: V. II. Missis autem Deistis, quorum ex sacris literis contexere possemus catalogum, quosdam, quorum famam nobis reservavit historia profana, nominare lubet. Prolixum autem nimis foret, vel nomina saltem in chartam conjicere omnium eorum, qui Deistarum dogmata sua fecerunt. Ea namque est indoles Atheismi, Fatalismi, Indifferentismi & plurium, ut arcto cum Deismo cohæreant

nexu. Sufficiet itaque nobis, quorundam tantum mentionem fecisse, qui præcise providentiam eliminare visi sint. Inter illos referendum censemus, si modo Ciceroni fides habenda sit, Epicurum Philosophum Græciæ, quem sic loquentem infert L. II. Nat. Deorum: *nihil (Deus) agit nullis cogitationibus implicatur, nulla opera molitur; & paucis interjectis; Hunc Deum rite beatum dixerimus, Vestrum vero laboriosissimum.* Eandem cum illo mentem fuisse Luciano statuit Quenstedius, cujus ex Lib. II. hæc adfert verba: *Sors incerta vagatur, fert refertque vices, & habent mortalia casum.* Nominatus modo Quenstedius Plinii etiam adducit sententiam ex Libro ejus II. hunc in modum: *irridendum vere, agere curam rerum humanarum, illud quidquid est summum: annon tam tristi & multiplici ministerio pollui credamus.* Ad ipsam vero properantes translationem plures enumerare omittimus.

### §. III.

**A**Rgumenta itaque, quibus absurdam suam hypothesein superstruere solent Deistæ, paucis jam examinare lubet. Imprimis autem eos offendit, quod series causarum in toto hoc universo obvia, nimis ex eorum mente longa sit, & cessantibus miraculis, non adeo luculenta & sensus externos immediate moventia, extent indicia providentiæ. Cum nimirum DEUS sapientia, qua gaudet summa, cognovit fines, a se, definitos optime promoveri, per causas naturales, factum est, ut sverum naturæ ordinem  
maxi-

maxime servet: Atque hinc concludere ausi sunt Deistæ, providentiam neque necessariam esse, neque existere. *Non necessariam*, cum causæ istæ secundæ producant effectus viribus earum proportionatos. *Non existere*, cum DEUS nihil faciat frustra; & præterea, sine dubio, si esset providentia, homines sæpius effectus ejus immediatos experirentur. Vim itaque infringere testimoniorum sacre Scripturæ, de miraculis in antiqua Ecclesia Judaica & primitiva Christiana frequentissime adhibitis, eorumque fidem dubiam reddere, annituntur, cum nulla Nostro tempore fiant, quamvis maxime utilia & necessaria essent; quia impium plus unum movere miraculum, quam plurimos alios, illum convincendi modos, arbitrantur. Sed quod attinet argumentum, a sufficientia causarum, petitur, quo necessitatem providentiæ aggrediuntur, patebit ejus falsitas, dum in sequentibus demonstratum dabimus, causas istas omnino a DEO dependere, omnemque vim illis insitam ejus esse indolis, ut sustentatione causæ primæ, carere nequeant. Quod autem ex defectu miraculorum, & longa illa, quæ observatur, serie providentiam eliminare velint, exinde, procul dubio, factum est, ut, communi mortalium vicio contaminati, admodum sint novarum rerum cupidi. Etenim omnia fere, quæ vulgaria sunt, utut excellentissima, tandem obsoleta & minus grata fiunt; adeo ut haud raro varietatem exoptantes, conditionem optimam cum pejore commutemus. Deinde ob causam, in præfatione, allatam falsissimæ suæ hypothisi libenter

subscribunt DEistæ, modo ratiunculas, speciem argumentorum præ se ferentes, habuerint.

### §. III.

**U**T autem justo ordine omnia persequi queamus, quæ hoc in puncto nobis considerata veniunt id agamus necesse est, ut convicti de veritate miraculorum, *eorum finem genuinum determinemus* adeoque *supervacanea jam esse monstremus, & ex comparatione inter miracula & ordinem naturæ instituta, coligamus, hunc providentiæ illustrandæ, maxime præ illis inservire.* Miraculum, omnium consensu, dicitur *eventus, cujus Ratio, ex rerum creatarum natura & indole, reddi nequit, vel legibus, quibus hæc subjicitur, non continetur.* Hac definitione supposita, facile evincitur, miraculis DEum voluisse edere specimina providentiæ suæ in specialissimis tantum casibus, & ubi ordinarius nexus rerum non æque sufficeret finibus ejus sanctissimis adimplendis. Intendit itaque miraculis, confirmationem verbi sui, atque Convictionem de missione certorum legatorum, a se ipso, ad obeunda quædam munera in Ecclesia, quod attendenti, ad exempla, est clarissimum. Sic Moses, DEo licet jubente, iter, ad Israëlitas, detrectans, eo nomine, quod Deceptorem eum proclamarent, potentiam miracula patrandi nactus est, qua se a DEo missum illis probaret, & simul verba, quæ nomine mittentis proferret, confirmaret. Iisdem de causis, Prophetis & Apostolis, concessit dona supernaturalia, Supremum Numen, Immo, licet Salvator mundi,

di,

di, propria Divina virtute miracula efficere posset, tamen sæpius illis non usus est, quam populus, de officio ejus mediatorio convincendus esset, vel ille, se verum & Patribus promissum Messiam esse, indubie indicaret, vel etiam se utpote verum DEum, ita providentia sua, caussis secundis, non esse alligatum, ut quidquid vellet etiam sine illis non agere posset. Cum vero jam nostro ævo, verbi Divini veritas in omnem orbem terrarum exierit, & ejusdem præconum a DEo ablegatio, nulli, nisi omnem fidem historicam neganti & sanam labefactanti rationem, dubia sit; doctrina cœlestis per miracula nulla amplius probatione indiget, imprimis cum, quod etiam monet Wolffius, notitia miraculi antiqui, eandem habeat convincendi vim, ac novum quoddam. Haud immerito itaque statuit Stapfer, miracula esse necessaria, neque ratione hominum *profanorum & incredulorum*, neque ad *fidem adducendorum*, nec denique *in fide confirmandorum*, adeoque cum plures non dentur divisiones, nullorum in toto universo. Non *illorum*, quia exemplis Pharaonis & incredulorum inter Judeos constat, ne miracula quidem sufficere, animis eorum obduratis contundendis; nec *istorum*, cum habeant verbum DEI revelatum; nec tandem *horum*, quibus doctrinæ Divinæ evidentia satis se commendat, tanto magis quo certius sciant periculum circa miracula, si fierent, extimescendum, ipso Satana se in Angelum lucis transformante. Notatu itaque digna sunt verba, quæ ex scriptis Thomæ Brovne adfert Stapfer, in quibus *sibi gratulatur*

*se tempore miraculorum non vixisse, cum coactam fidem eorum, quæ videbantur pronunciat & se tunc benedictionis expertem mansisse illis datæ; qui non videntes crediderint; imo illorum demum fidem nobilem & animosam appellat, qui ante adventum Messie vixerunt, & credenda ex vaticiniis obscurisque mysteriis quasi expiscati sunt.* Fine autem miraculorum feliciter jam obtento, facile cuique patet ratio, cur neque ulla hodie existat. Neque enim ad existentiam Divinam ejusque gubernationem demonstrandam adversus Atheos & Deistas ullum unquam adhibitum est, quia opus hoc fuisset supervacaneum, a quo sapientia infinita abhorret. Quilibet enim, minima etiam, res, eos impietatis atque stultitiæ arguit & convincit, qua de re in sequentibus.

#### §. IV.

**C**ONvertimus jam nos ad **comparationem** miraculorum cum ordine naturæ, ostensuri hunc potius circa demonstrationem providentiæ, in censum venire debere & plus continere roboris. Miraculum fuisse resuscitationem mortuorum, factam a Salvatore & Apostolis, nemo, cui sanum est cerebrum, negare potest, eoque providentiæ extitisse specimen. Sed hoc non obstante, æque firmum indicium providentiæ contendimus esse, formationem hominis in utero materno, ejusdemque ibidem vivificationem, quæ ordinarie fiunt per vires naturæ vi benedictionis Divinæ. Ex informi materia ortum habent Embryones, paulatim crescere incipiunt, deinde vitæ fiunt



fiunt participes, omnem captum humanum superanti modo, per certum temporis tractum, censervantur, & tandem lucem adspicere gestiunt. Nonne hæc omnia directionem arguunt divinam, adeo ut unicuique conveniat, providam venerari Numinis curam, quæ nobis mirabili plane modo, existentiam largita est. Hominem a mortuis resuscitare, omnipotentiam arguit, sed ipsa hominis generatio, non potentiam modo, sed & sapientiam atque bonitatem Numinis, infinitam, multiplici ratione exhibet. Negare nobis animus non est, maximam vim inesse argumentis pro demonstranda providentia divina, quæ nobis tradit historia itineris Israëlitarum ex Ægypto, miraculis plena; ibant namque per mare rubrum; erat illis dux ipse Deus, concedens escam de cælo, potumque ex petra & quæ sunt reliqua, singularia plane & stupore nos afficientia. Sed elucescit etiam provida numinis cura in eo, quod eam servet indolem aqua, ut particulæ illius cohæreant & massam constituent fluidam, unde navium, super facie illius, facilis est cursus; ut post infinitos circuitus & varii generis mutationes, eadem inter aquam & solidiora corpora constanter obtineat proportio: ut infinitis licet hæterogeneis admixtis, partim in atmosphæra, unde ex vaporibus in particulas majores redacta, iterum decedit, partim in ipsa terra, dum eandem diversissimæ indolis, transmeat, constanter tamen suam retineat naturam, adeo ut, non tantum vegetabilibus irrigandis, sit aptissima, sed etiam potus, toti regno animali, optimus atque saluberrimus. Sic quoque

que seminis e gremio terræ progerminationem, ejusdemque mirificam prolificationem, haud infirmius argumentum esse providentiæ, tuto affirmamus, ac missionem panis de cœlo, & benedictionem ejus sapius a Salvatore factam, ut minima quantitas, pluribus millibus hominum, ad abundantiam usque sufficeret. Quis unquam dubitaret providentiæ indicium esse æque certum illud, quod, tantum non infinitis, indies provenientibus ovulis insectorum, horum tanta non fiat multitudo, ut omnia, quæcunque vitæ nostræ sustentandæ inserviunt, iis fiat esca: ac illud quondam fuit, dum, per miraculum, pediculi & locustæ, acerbissima essent pœna Ægyptiis, qua inflicta, ne terra eorum plane vastaretur, populum Israeliticum dimittere pollicebantur. Et si jam temporis permitteret ratio, pari modo ex reliquorum, quæ continet scriptura miraculorum, cum ordine naturæ comparatione, hujus excellentiam circa providentiæ demonstrationem evincere possemus; sed illo negotio jam supersedere cogimur.

§. V.

**E**Xistimant porro Deistæ, rationem dictitare, imperfectionis accusari Creatorem, si conservatione opus haberent creaturæ, cum artifices, viribus admodum limitatis, ejusmodi condant artificia, quæ sublata vi adhuc persistunt. Sed non attendunt, providentiam se extendere, non solum ad conservationem formæ, sed etiam materiæ, quæ ex nihilo producta iterum periret, sublata vi sustentatrice Dei Omnipotentis. Neque observant, contradictionem involve-

volvere ejusmodi existere creaturas, quæ a Deo Creatore non dependerent, cum impossibile sit, illas habere perfectiones alias, quam essentiæ suæ proportionatas. Est autem existentia, cujus ratio in essentia continetur, perfectio infinita; adeoque perfectio illa, ut existat propria vi, nulli enti creato communicari potest, finitam quippe habet essentiam. Quolibet itaque momento, quo existunt res finitæ, divina indigent sustentatione.

§. VI.

**D**Einde indignum esse Deo, affirmare audent, agere curam rerum abjectarum & vilium. Nulla autem inde in Deum redundat indignitas. Nam priusquam quædam inutilia vocare possumus, requiritur cognitio totius nexus, cum id inutile & deforme in particularibus videatur, quod ex universa serie, neutiquam abesse potest. Quocirca etiam verborum Ambrosii simus memores, qui dicit: si non est injuria & probrum Dei, minutissimas quasque res fecisse, multo minus illas factas regere. Hinc certissimum est, non solum impietatis, sed etiam stultitiæ summæ documenta dare eos, qui aliquid, in opere divino, se reperire existimant, creatione & providentia indignum. Neque tantum tribuimus auctoritati Hieronymi, ut cum illo, *nos fatuam prodere adulationem, crederemus, si eo producere vellemus providentiam divinam, ut per singula momenta sciat Deus, quot nascantur moriaturve culices &c.* & infimul *injuriam inferre nobis ipsis, si providentiam ad*

*ima detruderemus.* Quacunque enim ratione, erroneam hanc intellectam voluit, assertionem, illam tueri non convenit. Non humano more sibi repræsentat Deus res; non ex cognitis elicit incognita; nil ipsi incognitum: importat enim intellectus ipsius infinitudo, ut uno simplicissimo actu, omnia cognoscat, idque sine ulla molestia.

§. VII.

**A**Dhuc objiciunt Deistæ, si Deus omnia regeret; utique justitia ejus summa requireret, ut bonis fausta contingerent, & malis e contrario adversa, quod jam aliter prorsus sæpissime se habere, experientia edocemur quotidiana. Sed præterquam quod, Deo soli cognitum sit, quorum sincera sit vivendi ratio, illique unice competat, nostra mensurare & proportionare commoda; etiam illud heic tenendum est, nullam esse proportionem bonorum temporalium atque immortalitatis animæ, nihilque ex rebus existere mundanis, quod desideriis ejus adimplendis sufficiat. Cumque in statu, quem post hunc, expectamus meliorem, demum infinitum illud adimpleatur desiderium, parum refert, quod homini, quævis perferendæ sint adversitates, brevi illo tempore, quo in mundo vitæ filum ducit. Et si in hac vita, exacte responderent fata, actionibus nostris, abesset sanæ rationi, argumentum maximi ponderis, pro adstruenda immortalitate animæ. Verum cum haud raro mutata sorte, in his terris vivant mortales, firmissima inde ducere poteris consequentia, post hanc  
dari

dari aliam vitam, in qua finem conditoris exacte videbimus, impletur. Etenim bonitas, justitia atque sapientia, attributa illa divina non permittunt, ut bonis male perverfis vero bene fit. Sordidum vero animum proderet servus, si quacunque re bene & fideliter peracta, mox præmium facti exigeret, a Domino certissimæ fidei, qui solutionem fidelitatis atque laborum promisit. Si vero hominibus caducis & perfidis, haud raro, fidem habere solemus; unde itaque fit, ut ægre expectemus ea, quæ nobis promittunt attributa divina immutabilia & fallere nescia? deinde cordatis est notissimum, marcere sine adversis virtutem veram, eamque a fucata discerni non posse. Quid? Si nil mortalibus esset difficile, si nullo urgerentur malo, incultu atque socordia torpescerent ingenia eorum, & vitam agerent, brutorum simillimam. Veneramur itaque merito, non sapientiam modo, sed bonitatem etiam Dei inexhaustam, quod non secundis solum, verum & adversis, nos excitet atque impellat, ad virtutis exercitium & ingenii corporisque culturam. Hæc considerantes virtuosi, constanti, immo hilari, animo excipiunt, quicquid illis immittit providentia divina, felicitatem suam, ex rebus longe, immo infinitis nobilioribus, quam caducis hisce, mensurantes. Divinæ itaque providentiæ certissimum est indicium, quod virtuosi, etiam hac in vita, perverfis sint longe feliciores, quodque illi felicitatis, hi autem miseriæ constanter sint conscii.

§. VIII.

**I**N Deum denique causam peccati redundare somniant

mniant Deistæ, supposita providentia. Facile vero etiam hoc solvitur dubium, tot licet turbas excitaverit, si modo distinctio admittatur inter id quod materiale & formale est in re. Sed multa de his apud philosophos inveniuntur recentiores, ad quos B. L. remittimus. Id tantum hac occasione monemus, quod quemadmodum entis rationalis est, non nisi ubi certum finem agere; ita etiam sapientis est, actiones edere, fini obtinendo, aptas. Nunquam itaque creasset Deus mundum, nisi gloriæ suæ & perfectioni creaturarum, promovendæ sufficeret. Eo enim ipso, quo affirmas mundum esse opus Dei, affirmas eum fini divino sufficere. Qua itaque fronte, negare sustines, Deum non decere providentiam, ex eo fundamento, quod creaturarum culpa, non nulla eveniant mala? Totum universum sufficit fini entis infiniti, & tamen cura universi non decet Deum. en! absurda consequentia. Facile possemus nostro qualicunque indagini, argumenta illa subjicere, quæ ex scriptura sacra contra providentiam conflare solent; sed ne falcem immittamus in alienam messem, illa omittimus.

### §. IX.

**E**Cquidem ex adductis ad oculum patet, providentia divina, placet tamen nonnulla addere argumenta, eandem probantia, quo ipso etiam secunda pars operis absolvitur. Quandoquidem totum hoc universum est providentiæ divinæ objectum, hinc non possumus non, debita illius contemplatione de eadem summi Numinis providentia convinci. Stupen-

pendus autem in eodem rerum numerus se nobis offert; quarum singulæ, admiranda superbiunt pulchritudine. Si attentis oculis inspexerimus herbam, quam pedibus calcamus, vel minutissimum animalculum, fateamur necesse est, providam Dei curam in minimis esse maximam. In his enim considera ortum & generationem, nutrimentum, accretionem, structuram & mechanismum partium, varietatem cum harmonia maxima, defensionem a malis & injuriis, iis frequenter obviis, & singula, veritatem asserti evidenter probabunt. Immo novis, iisdemque evidentissimis cumularis argumentis, dum attendis ad diversitatem, quæ in hoc universo reperitur, inter res stupendæ multitudinis, nexumque & ordinem perpendis, qui eas intercedit harmonicum. Tantum non innumeros heic invenies fines intermedios, qui tamen omnes, ad unicum ultimum illum obtinendum amicissime conspirant. Licet res non tantum sint indolis diversissimæ, sed etiam vi naturæ, ut contingentes, ad alias atque alias actiones peragendas, ad aliis atque aliis legibus obtemperandum sint aptæ; nihilo tamen minus, leges sapienter a conditore semel præscriptas, constanter servant, adeo ut nec in generalibus nec specialibus, unquam deficere deprehendantur. Hæc omnia casu & sine numinis providentia fieri nullo modo possunt; Etenim, quæ casu fiunt, constanter fieri nequeunt. Jucundissimum esset ex speculo providentiæ divinæ, mundo puta, eruere, veritatis probandæ, argumenta, sed faciunt nobis otium Derhamus, Nieuventit, Lesserus aliique, qui

in rimanda providentia divina, ex singularibus in rerum ratura obviis, haud contemnendam collocarunt operam. Ne autem nos omnino partibus nostris defuisse videamur, ad sequentia attendi volumus hoc in puncto. Quod attinet imprimis regnum animale, quotidiana, eaque multiplici edocemur, experientia, parentes, a se natos, tenerrimo amplecti amore illisque omni sollicitudine prospicere. Idem ad summam usque admirationem in brutis quoque animantibus observamus & quidem omnibus. Apertissimum vitæ periculum subire malunt, quam progeniei suæ auxilio non esse, periculo imminente. Si autem sapientissimus rerum conditor, tenerrimum hunc adfectum, omni indidit creaturæ: Si ob perfectionum suarum manifestationem, totum hoc universum produxit: si ex nulla alia re Conditor, quam ex opere suo, cognosci potest, melius; quid unquam clarius sequitur, quam inesse Conditori, modo decenti & infinito, eandem propensionem, qua in priorum conservationem, omnia exornare voluit animantia? Nos itaque conservare nobisque prospicere Deum, certo novimus, vel exinde, quod lege constanti naturæ nostræ indidit, ut nobis non tantum, sed etiam nostris, quoad vires hoc permittunt, prospiciamus. Et quis sanus unquam concipere posset, Deum creando hoc universum, innumera infinitæ suæ bonitatis erga nos, dedisse ducumenta, post creationem vero, eum non curare res humanas? Num homo est Deus, quem non raro facti sui poenitet? Num crederes eum, vel ob virium vel cognitionis de-



defectum, consilium mutare? absit blasphemia! Quod semel decrevit, serio atque constanter vult, quia serio atque sapienter decrevit. Finge autem absurdum, res creatas, sine sustentatione divina, posse subsistere. Tolle impiissimo ausu, sustentationem & gubernationem divinam; remanet nihilominus, velle Deum, ut res creatæ, fini devino convenienter agant, eumque in prima creatione, omnia ita ordinasse, ut fini huic obtinendo sufficiant. Hinc, etiam sub absurda Deistarum hypothese, sequitur velle Deum, ut homo naturæ & statui suo convenienter vivat, eumque omnia præscientem, ita hoc universum, ob initio jam dispavisse, ut fata hominibus contingant, actionibus eorum correspondentia. Sic Deistæ, in absurda sua hypothese, patrocinium scelerum quærentes, illa etiam admittunt, stultitiæ & impietatis suæ, inde ab initio rerum, pœnam promeritam haberent sibi præparatam. Regnum autem animale & sequens nobis subministrat argumentum. Neminem latet quanta sit multitudo insectorum, quorum ova minutissima & veneni plena in atmosphæra volitant & aquis, quæ in nostros convertuntur usus, immerguntur: quæ itaque humana sapientia sufficeret, ad conservationem nostri? Et obstupescimus sane, quoties animum subit cogitatio, variarum illarum circumstantiarum periculis plenarum, quibus mortales sæpissime involuti sunt. Vel casui vel prudentiæ & solertiæ finitæ adscribere velle ea, quæ hoc in puncto experientia nobis

bis subministrat, non nisi impii atque demen-  
tis est.

§. X.  
**E**Tiam manifestum providentiæ Divinæ habemus documentum, attendentes ad naturalem illam, quæ menti humanæ inest dispositionem ad amplectendas veritates, & imprimis agnoscendum supremum aliquod Numen. Quemadmodum enim ratio nobis imprimis concessa est, ad indagationem veritatis, ita & ad agnoscendam providentiam, utpote veritatem generalem & evidentissimam, prout omnino erimus, modo sub favilla latentem ignem, diligenti consideratione theatri hujus mundani, inflammare voluerimus. Hoc autem neglecto, mirum non est, quod contraria doceant Deistæ, quodve nil tam absurdum sit, nil adeo contrarietur lumini naturæ & omni experientiæ, quod admittere immo defendere non sustineant. Deinde providentiæ veritatem constare existimamus, ex indole conscientiæ humanæ, quæ nostram vivendi rationem vel accusat vel excusat. Frustra namque indidisse videretur Deus homini hanc, de moralitate propriæ actionis, judicandi facultatem, nisi ea insimul respexisse statueretur, avocationem improborum a sceleribus & bonorum in officio mansionem. Multa sane conamina turpissima & perniciosissima conscientia pungente cohibentur, quæ sine provida hac dispositione divina effectum producerent infelicissimum.

Denique & hoc maximum providentiæ divinæ est indicium, quod licet infinita non tantum humani ingenii sit varietas, sed etiam nimius & perversus; sui ipsius amor, & maxima ad prava quævis mortalium inclinatio, ab unico tamen homine, tot hominum millia regantur. Pater familias vix paucis quibusdam servis regendis sufficit. Experientia itaque nisi edoctus, eum ab insania minime liberares, immo ad culmen stultitiæ pervenisse statueres eum, qui diceret, millena hominum millia, ab uno homine, absque singulari Numinis providentiâ, in officio contineri. Hinc optime jam suo tempore dixit Aristoteles, de mundo Cap. VI. *Quod in navi gubernator, in curru auriga, in choro præcentor, in civitate lex, in exercitu imperator, hoc idem in mundo est Deus: nisi quod illis ipsis principatus laboriosus, perturbatus & anxius est, Deo autem expers omnis mæstitiæ, & laboris, nullamque corporis asserens imbecillitatem.* Innumera vero hisce simillima, cuius vel parum attendenti, ubivis obvia sunt documenta providentiæ, conf. Notæ Telleri ad Quæst. V. art. de prov. div. Theol. Acream. Hollazii. Plura autem enumerare non vacat. Id saltem ultimo conficimus, vel maxime in semet ipsos peccare eos, qui regimini divino se subducere velint. Eo namque obligatio, qua Deo obstricti tenentur, non tollitur, sed potius in maximam incurrunt poenæ obligationem. Omnes providam Dei venerantes curam, gaudent de tali beneficio, quod a Deo omnes eorum dirigantur a-

ctiones.

ctiones. Deus illis est protector & munimentum, quo se tuti recipiunt: summum bonum, cui, quidquid iis perfectionis inest, acceptum referunt; spes & solatium unicum, in quo præsentium & futurorum curas conjiciunt & in quo lætissimi adquiescunt. Deista vero, cum providentiam, summum Dei, beneficium neget, quisque facile videt, eum omnium hominum esse miserrimum. Dum se & fortunas suas committit sibi, rebus vanis & futilibus sibi que simillimis, quid mirum, si, in secundis licet sit inflatus, in rebus dubiis tamen vacillet spes illius, in adversis vero anxietas atque desperatio, animum illius occupet. Quid? quod tam alte ideam perfectionum divinarum naturæ nostræ impressit summum Numen, ut penitus extinguere non possit, licet omni nisu in id incumbat Deista; subinde itaque sese insinuat idea omniscientiæ sanctitatis atque justitiæ immo ipsius providentiæ, quæ tristitiam atque horrorem penes eum excitat. Deinde cum Deus mundum hunc condidit ob perfectionum suarum manifestationem; hæcque fiat per entia rationalia: sequitur Deum, entia rationalia ejus condidisse indolis, atque naturæ, ut fini huic promovendo, sint apta. Notissimum vero est, ens finitum felicitatem suam procurare, dum naturæ suæ convenienter agit, contra autem si disconvenienter egerit. Cum itaque Deista in Dei perfectionibus illiusque operibus considerandis, non agat fini conditoris, adeoque nec naturæ & facultatibus sibi a Deo concessis, convenienter,

ter, quis non videt eum propriam ob stultitiam, esse miserrimum. Aurea itaque sunt verba imperatoris M. Antonii qui *vitam vel unius Diei sibi intollerabilem fore dixit, nisi persuasum haberet, eundem subesse regimini divino.*

S. D. G.

\*\*  
\*\*

\*\*  
\*\*

\*\*  
\*\*

## Min Cousin.

**M**in egen Bror Dit qwicka snille/  
 har lämnat oss en wacker skrift/  
 Du wisar dermed mycken drift/  
 Att solet i yrsla löpa wille  
 Och rusa utaf öfwerdåd/  
 När som man wägar tro och tycka/  
 Att alt sker af en blinder lycka  
 Och ej af Himlens slutt och råd.

Du lär twärt om att alting talar  
 Om wård om styrsell och förson.  
 De största ting de minsta gryn/  
 Den ört som weper uti dalar/  
 Den mast som winglar på wår johl;  
 B. falla oss Förshnen wörda/  
 Hvars godhet Du må hymnigt stönda/  
 Först här och sidst J: H:mlens P:ol.

## MIN KÅRA BROR.

**D**Et wore onödigt at tolka för Dig min kärlek, som är förut Dig wål bekant. Du wet, at våra hjertan, som uplifwas af enahanda blod, åga på det högsta eniga böjelser. Du wet at de altid tagit en öm del i hwarandras lycka och med blödiga rörelser anskådat wederwårdigheterna wi utståt. Detta tilfället bådard Dig någon lycka, hwitken är sålsam för ofs begge. Jag som anser Dina öden för mina egna, kan då ej annat än betyga min innerliga fågnad deröfwer och tillika önska Dig all wålsignelse i Dina öfningar. Jag hoppas, at Försyn Du liter på och ordar om, skyddar Dit förehafwande. I öfrigt skall min kärlek altid wara så ren och fri för all flård, som den åskas af en Bror. Ock tiden med des skiften skal aldrig ändra den förefatts jag fattat at lefwa och dö

DIN

*trogne Bror,*  
JEAN ALOPÆUS.